

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Qvatvor Theses Theologicae

Froriep, Justus Friedrich

[Erfurt], [MDCCLXXVIII?]

VD18 13413295

Widmung

urn:nbn:de:gbv:45:1-15818

OPPVGNABIT THESIVM

primam & secundam

IACOBVS CHRISTOPH. REINHARDT,

Erfurtensis,

reverendi Ministerii Candidatus;

tertiam

HENRICVS ERNESTVS BÜCHNER,

Erfurtensis,

SS. Literarum Cultor¹;

quartam

GEORGIUS MICHAEL SCHVLZE,

Erfurtensis,

SS. Literarum Cultor.



I.

Ultimum Pentateuchi caput Mosem habere nequit auctorem.



Est nobis quidem persuasum, juris judaici illum codicem quinque libris comprehensum a Mose, cui semper eum vindicavit ecclesia tam israelitica quam christiana, fuisse conscriptum; verum dubitare licet, num divinus vates pentateuchum ita ediderit, ut hodie eum legimus. Nam ex nostra sententia Deuteronomii saltem caput trigessimum quartum diversum a Mose habuit auctorem: sive is fuerit Iosua imperator, sive Esra legis peritus, sive alius vir θεοπνευστος. Qui enim fieri potuit, ut Moses ipse suam mortem quaeque illam secuta sunt describeret, ut luctum, cui tristissimae hujus rei causa per triginta dies indulserant Israelitae, enarraret, ut semet ipsum maximis extolleret laudibus et, quod ca-